



## **Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.**

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum  
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra  
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure  
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;  
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &  
heriditarias quasi successiones

**Epo, Boetius**

**Duaci, M.D.LXXXIIX.**

333 Permutatio Triangularis an licita sit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

333  
Permutatio  
triangularis  
an licita sit.

**M**irus quidam fuit inuentus & hoc nostro venit in vsum seculo triangulus non mathematicus at beneficiorum permutatorius; canonibus nostris, quin & interpretibus ipsis antiquioribus omnibus hactenus ignotus & incognitus. exempli causa: placuit inter A & B & C beneficiarios (Annam, Barabam, & Caipham) vt ex causa permutationis beneficia singuli sua resignarent, ita vt B consequeretur beneficium illius A & C consequeretur beneficium illius B & A denique consequeretur beneficium illius C. Quæ triangularis ob id nominatur permutatio, quòd personarum trium diuersarum beneficia veniant in contractum, quarum tamen illa persona quæ dat nihil vicissim accipit ab ea cui dat sed ab alia. Quadrangularis appellanda permutatio, si quattuor diuersarum personarum permutantium interuenirent beneficia; sicque deinceps. Quæritur an ita rectè fiat beneficiorum permutatio. Pro permutatione tali facit, quòd licet accipiēs alienum beneficium vicissim non reddat eidem beneficium suum, tamen alteri reddat ex eiusdem abs quo nouum accepit voluntate. Sed contra permutationem talem facit, quòd in omni permutatione quædam reciproca requiratur inter ipsos dantes & accipiētes datio, sic videlicet & vt mea res tua fiat, & vicissim tua res mea fiat; id quod in isto vel

trian-



triangulo vel quadrangulo non est. Cui quæ-  
stioni priusquam respondeamus, & vt com-  
modiùs respondeamus, opere precium fuerit  
premittere quæstionem non omnino dissimi-  
lem à veteribus nostris Interpretibus tracta-  
tam, quid si nimirum sic beneficia permute-  
mus vt meū beneficiū tu accipias, tuum verò  
beneficium non ego vicissim recipiam, sed ali-  
quis tertius, nepos fortè quispiam vel amicus  
meus omni beneficio destitutus vel qui alio-  
qui vicissim nullum beneficium reddat? Ac re-  
spondit quidem Ioan. Andreæ ad c. vnic. de  
rer. permutat. in 6. num. 2. talem permutatio-  
nem fore Simoniacam nec ad Bonifacianam  
pertinere. quod idem secutus est Petrus An-  
charanus in d. c. vnic. de rer. permutat. in 6.  
notabili suo 3. propter masculam hanc ratio-  
nem quòd ipsismet inter se permutantibus &  
non aliis beneficia propter permutationē re-  
signata conferri debeant. Senensis item tribus  
verbis in ipsomet sine sui tractatus de permut.  
Ioannem Andreæ laudat huius opinionis au-  
thorem; non esse videlicet permutationem, si  
meum beneficium resigno vt illud habeas tu,  
atque tuum detur meo nepoti, nec mirū sanè;  
quia nihil hinc inde proficiscitur à dante ad  
accipientem, sed tertio cuidam datur qui per-  
mutationis ipsius præsentæ nullo modo fuit  
vel author vel pars contrahens. Verùm quæ-  
stio nostra seu casus noster ponit omnes hos  
tres inter se contrahentes, & aliud beneficium  
pro suo accipientes quidem, sed nō hinc inde,  
m ij hoc est,

334  
*Quæstio Do-  
ctorum non  
omnino dissi-  
milis de dan-  
do vicissim  
beneficio ali-  
cui tertio non  
comperrun-  
tanti.*